

latera, sacerdotibus destinatum erat. Cæterum, eo uno excepto, quod, juxta Josephum, de Bello I. 6, c. 10, neque peristylum, neque conclavia in latere occidentali, sed parietem haberet, quod ad ornamenta et structuram pertinet, nihil eodebat extimo et ampliori atrio, ad cœtus populi reservato. Erant autem hæc atria-lapidibus elegantissime strata, magnificis porticibus, quas columnæ non infirmi pretii fulciebant, ornata. Cellulæ pro sacerdotibus, servandisque rebus in usum templi, uti vino, oleo, frumento et vestibus, alia occupabant ædificia circum atria vel porticus disposita. Tandem si quid erat vel ad ornamentum, vel ad usum, vel ad splendorem et magnificentiam domus Dei, horum

sane nihil in eo ædificio desiderabatur. Vestes ipsæ, cellæ, cibi ministrorum, pro Numinis maiestati sufficiebantur.

Neque illud nobis proposuimus, ut singula hæc in præsentiarum prosequeremur: satis sit demonstrasse quantum fuerit affinitatis inter templa gentium Judæis finitimarum, et templum Domini. Nihil firmè inter utraque hæc discriminis, nisi quod multum religione Numinis simul et structuræ magnificentia Salomonicum præstaret. Cæterum utrobique recurrit sanctuarium inaccessum, inviolabile, in ipsis ædificiis penetrabilibus abditum, atris uno vel pluribus, non sine ambitu columnarum, cinctum, et ædes in usum sacerdotum, (CALMET.)

## DE ORIGINE ET NUMINIBUS PHILISTHÆORUM

### Dissertatio.

Philisthæorum origo in varias criticis distracta sententias. Convenit inter omnes, populos illos alienigenas Palestinæ fuisse, quos propheta ex insula Caphtor deducit, Amos 9, 7, Jerem. 47, 4. Sed quenam hæc insula apud veteres novosque geographos æquè incognita? In nostro Commentario in Genesis 10, 14, conjecturas pro insula Cypri congressimus. Sed ut ingenuè fateamur, adductæ aliæ conjecturæ modò displicent, quippe qui originem numinum Philisthæorum scrutantes, veram simul ejusdem gentis patriam in insula Cretæ offendisse nobis blandimur. Quæ nos in eam opinionem adducunt rationes in medium proferentes, eruditorum censuræ et iudicio relinquimus.

Philisthæorum nomen alienigenas sonat: quod Septuaginta reddere consueverunt *Allophylis*, gens quæ ex aliâ in aliam regionem transmigravit. Genuinum illius populi nomen erat *Cerethim*, quemadmodum ex testimoniis Ezechielis. Sophonie aliisque colligimus. In I Reg. 30, 11, legitur Amalecitis irrupisse in plagam meridionalem regionis *Cerethim*, nempe Philisthæorum, uti ex historiâ constat; coepisse insuper, et vastâsse Siceleg, urbem in plagâ meridionali Philisthæorum, Davidi sedem ab Achis concessam. David, cæterique post ipsum reges Juda, corporis custodes habuerunt mi-

lites alienigenas *Cerethim* et *Phelethim*, qui è numero erant Philisthæorum (1), Davidis partes secuti, cum persequentem Sautem in regionem Philisthæam declinavit. Ezechiel 25, 16, ita Philisthæos alloquitur: *Ecce ego extendam manum meam super Philisthæos, et interficiam interfectores, Hebr. Cerethim, et perdam reliquias maritimæ regionis.* Sophonias 2, 5, ita in eodem populos invehitur: *Vos qui habitatis finitulum maris, gens perditæ (gens Cerethim).* Unus igitur idemque populus habendus est Philisthæi et Cerethim; illud populum alienigenam designans, hoc patriam. Primum per contemptum nomen genti mansit; alterum avitum est et genuinum.

Septuaginta, Ezech. 25, 16. Sophon. 2, 5, 6, reddunt nomen *Cerethim, Cretenses, et Cereth, Creta.* Theodoretus in Sophoniam, partem Philisthæorum ex insula Cretâ non invitum accersiturum se significat. Sed plerique interpretum derivare gentem ex Cappadociâ malunt, ubi insula Caphtor statuitur, è quâ Moyses, Amos, et Jeremias Philisthæos deducunt. Moyses enim liquidò prodit, Genes. 10, 14, Myrraim inter cæteros filios etiam Caphtorim ha-

(1) I Reg. 15, 18: Legionem Cerethi et Phelethi et omnes Gethi, qui secuti cum fuerant de Geth. (Vide Hebræum, et nostrum Commentarium in hunc locum.)

uisse, de quibus, inquit, *egressi sunt Philisthim.* Jerem. 47, 4: *Depopulatus est Dominus Palestinos reliquias insule Cappadociæ (Hebraicè Caphtor): Amos 9, 7: Numquid non Israel ascendere feci de terrâ Egypti, et Palestinos de Cappadociâ, et Syros de Cyrene?* (Hebraicè *Philisthæos de Caphtor, et Aramæos de Kir*). Sed qui Cappadocia, quæ regio est continentis, insula vocaretur? Idèò fortè, inquit illi, quòd ex uno latere mari Nigro sive Ponto Euxino alluitur; positum est autem in moribus apud Hebræos, ut regiones omnes maritimæ indiscriminatim insulæ appellentur. Sed hæc quàm facillè dicuntur, non ita facillè adductis rationibus probarentur; hoc enim sensu etiam Palestina, Phœnicia, Arabia, Ægyptus insulæ dicerentur. Ne autem in hæc incidamus absurdum, dicamus oportet dissitas quidem à Palestinâ regiones, unde non facillè nisi mari transvectis iter est, insulas ab Hebræis rerum geometricarum imperitis haberi simul et vocari. Sed hæc nulli minùs quàm Cappadociæ conveniunt: querenda est insula Caphtor in Mediterraneo, non in Oceano, ubi infrequentior erat navigatio, quo tempore Philisthæi in Palestinam transmigrarunt. Inter cæteras saltem Mediterræni insulas nulli magis quàm insulæ Cretæ, ea quæ dicta sunt omnia quadrant.

Querenda est nempe insula Palestinis pervia, ampla, populorum numero florens, incolas autem habens vetustissimos, atque emittendis aliò non infrequentibus colonis aptos, sermone verò parùm à Phœnicio abindente, sicut et consonis cum illis moribus, legibus et religione, ejus tandem nomen ad *Cerethim, Cerot, Caphtor* reducatur. Hæc autem omnia in insula Cretæ ultrò se offerant. Urbs est ibi vetustissima et inclita Apheria (Strab. l. 20, pag. 330; Plin., Apterion, Ptolom. Aperia), cujus portus Sisamus. Notæ sunt etiam in eadem insula urbes Teraphne, Tharra, mons Tyritus, et Satyri, Caphtor in Hebræo sonat pomum, sive malum granatum; atque malum cotonium Græcè *cydonium* appellatur. Porrò populi *Cydonia*, et urbs cognominis, in eadem insula celebres, amplum ejus regionis tractum occupabant; facillè Græci Cydones seu Cydonios appellarunt, quos Hebræi Caphtorim. Cupressus arbor est frequens in insula, et tanquam ejus soli avitam arborem describit veteres (1); hæc Græci appellant *kupariton*, quod satis

(1) Plin. l. 16, cap. 33: Cupressus... hujus patria insula Cretæ.

accedit ad *Caphtor*. Sed meliùs nominis *Cerethim* vestigia in ipso Cretæ nomine servantur: quæ sanè insula nominis sub eo nomine Græcis innotuit. Primum tamen ejus nomen fuisse *Aerium* Plinius lib. 4, cap. 12, refert, deinde *Curetim*. Populi Curetes totâ profanâ antiquitate celebrantur, quòd Jovem in specu montis Idæ innutriverint. Ex eodem fonte derivantur urbs Gortina, et amnis Kerath (Callimach. Hymn. in Dian.), in quibus planè omnibus vestigia deprehendunt nominis *Cereth, Ceroth, Cerethim*.

Insula Cretæ florentissima olim et numero urbium et populorum habebatur (Mela lib. 2, c. 7): *Ingens et cœtum quondam urbibus habitata Creta.* Et Virgil. *Æneid.* lib. 3, v. 104: *Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.*

Homerus in catalogo navigiorum eam appellat insulam centum urbium, quanquam alibi 90 tantummodò agnoscat *ὄκισ*, T. 175. Primi omnium maris imperium habuisse creduntur (Diod. l. 5, p. 258, seu 343. Vide et Strab. l. 10, p. 351), omniumque ferè numinum matrem fuisse regionem historia veteres habent, uti Cereris, Veneris, Dianæ, Apollinis, Jovis, Bacchi, Herculis. Cretenses sub re Minoe, et deinde sub Rhadamantho longè latèquæ dominationem suam ad insulas Archipelagi, et ad continentem prorogarunt (vide Diod. ibidem et Herod. l. 1, c. 137); sicut et plures in varia loca miserunt colonias. Inter has non immeritò Cerethim et Phelethim recensemus. Sanè nominis Cerethim in eadem insula vestigia deprehendimus non obscura; sicut et clara apparent nominis Phelethim in *Pleto* sive *Pluto*, quem virum historia Tripoli in Cretâ (Diod. ibid. p. 256, 237) ortum ferunt, quod etiam nomen sonat in urbe Phalasarne.

Urbem Gazam in Palestinâ *Minoan* olim appellatam tradit Stephanus, quòd scilicet Minos rex Cretæ unâ cum fratribus Eaco et Rhadamantho in Palestinam veniens nomen urbi suum reliquisset *Minoan*, ac si diceretur urbs Minois. Hæc in remotissimâ ætate vestigia supersunt deductæ ex Cretensibus Philisthæorum originis. Apheria urbs in Cretâ vestigia adhuc quædam nominis *Caphtor* retinet. Ex rege quodam cognomine appellationem hanc urbi datam Eusebius testatur. Haud propè ab eâ urbe Sirena ad musicum quoddam certamen provocatæ victæ atque alis exspoliatæ suis abierunt. (Vide Suidam, Stephanum, Etymolog. magn.) Quam in rem animadversione di-

gnom est Philistheorum satrapas *Sareni* vel *Sarenimos* olim appellatos fuisse. Certam insulam crebro habitatore frequentari, urbesque ad nonaginta continere, et ex varii generis incolis varia ibi variarum gentium idiomata insonare, Homero auctore *Odys.* 19, v. 172, discimus. Sunt ibi *Achæi*, *Cretenses* indigenæ, *Cydonii*, *Dorii*, qui tres urbes implent, et *Pelagii*. Incolæ *Cretenses* facile utebantur linguâ ad *Hebræicam* proximè accedente. *Pelagos* ipsos esse *Philisthæos* suadet eadem nominis significatio. Cernere licet *Pelagos*, non per insulam tantum diffusos, sed per *Asiam*, *Græciam* et *Italiam*. In exercitu *Græcorum* *Trojam* obsidentium *Pelagii* arma ferebant.

*Jupiter* in *Casio* monte in finibus *Ægypti* et *Palestinae* cultus, malum punicum (quem *Hebræi capthor*, *Græci rholan* appellant) gerens exprimebatur, ait *Achilles* *Tatius* l. 5.

Porrò *Cretenses* gens sunt omnium, quas quidem noverimus, vetustissima (*Diod. Sic.* l. 5, p. 250); primitivè eam regionem tenuerunt *Eteocretes*, dieti etiam *Autochtones*, i. e., è terrâ nati, quippe quorum origo lateret. Successerunt *Pelagii*, deinde *Dorii*, quos exceperant barbaræ gentes variæ (ibid. p. 259). Numero incolarum et potentia florabant per ævum tempore belli *Trojani*, ut in superioribus observavimus. Facile etiam conjicimus veterem gentis linguam *Phœniciam* fuisse, vel saltem ad illam accessisse plurimum, quemadmodum ex nomine urbium et locorum intelligi potest; in his enim *Phœnicia* origo facile deprehenditur, quâ de re *Bochartus*. Porrò *Philistheorum* lingua *Hebræa* erat, sive *Phœnicia*, et cæterarum gentium ejus tractus et insularum *Mediterranæ* ferè omnium. *Herodotus* l. 4, c. 175, consentit *Cretenses* omnes origine barbaros esse, non *Græcos*. De *Cretâ* hæc *Homerus* *Odys.* T., vers. 173: « in ipsâ quidem *Achivi*, in eâ autem *Eteocretes*, *Cydones*, *Dorensesque*, *Tricaices* divitique *Pelagii*. » *Pelagorum* nomine designari *Philisthæos* idcirco suspicamus, quod duorum ejusmodi nominum sonus non absimilis, eadem ferè significatio habeatur; sonant enim *advenas*, *erabundos*. Porrò nec in *Græciâ*, *Italiâ*, *Asiâ*, *Cretâ*, obsidione *Troje* deerant *Pelagii*. *Vernacula* *Eteocretum*, seu *Cretensium* *genuinorum*, sicut et *Pelagorum* lingua non multum ab *Hebræâ* abludebat, et consueto *Hebræorum* sermone, qui *Philisthæi*, ipsi pariter *Ceretim*, *Cretenses* et *Phelithim* appellabantur.

Quamquam autem de *Philistheorum* moribus et religione pauca memoria commissa supersunt, quæ tamen restant satis superque consensus prædant cum legibus et cultu *Cretensium*. De *Cretensibus* memoria prædant est, viros fuisse bellicosos, laborum belli jam inde ab ineunte ætate patientes (*Strab.* l. 10, pag. 631, etc.). *Arcu* et *jaculis* pro armis utebantur, *Republicam* administrabant sex principes, et in rebus majoris momenti senatum eâ de re collectum consulabant. In *connobis* *Lacedæmonum* leges servatæ, adolescentes in classes divisi vietum habebant et vitam communem; quod sanè cum *historiâ* *Samsonis* quadrat, ad ejus pompam *connobii* *Philisthæi* 40 adolescentes assignarunt. *Principes* *Cretenses* populi suffragio electi *Philistheorum* satrapasatis referunt, ac bellicosa hujus populi indoles in libris sacris ultrò se prodit. *Cretensium* pronum ad vitia, mendacia potissimum et ignaviam ingenium quis nesciat? *Paria* *Philisthæis* exprobraremus, solis consulis *historiæ* sanctæ libris. Celebrantur apud profanos *Cretenses* et *Dactili* montis *Idæi*, tanquam viri corporis robore et strenuitate præstantes, nec deerant in insulâ *Cretæ* gigantes, quibuscum *Jupiter* manus conseruit (*Diod.* l. 5, p. 254). Scitum est autem è *Philisthæis* plures proditisse gigantes; et perique milites è turmâ *Ceretim* et *Phelithim*, *Davidis* partes secuti, viri erant rerum strenuè gestarum famâ præstantes. Ex prælio autem *Gelboe* intelligimus, arcu et sagittis certasse *Philisthæos* (1).

Quinquè *Philistheorum* numina occurrunt: 1° *Dagon*, deus in *Gaza*, *Judic.* 16, 12, 25, *Azotho* et alibi cultus, 1 *Reg.* 4, 1, etc.; est enim apud *Josue* 15, 41, et 19, 27, mentio duarum urbium *Beth-Dagon*, i. e., templum *Dagonis*. 2° *Beel-sebub*, deus muscarum, in *Accaron* venerationi expositus, 4 *Reg.* 1, 2, etc. 3° *Astaroth*, facile confundendus cum *Venere* cœlesti, templo *Ascalone* erecto, teste *Herodoto* l. 1, c. 103, celebris. 4° *Marnas* idolum quidem in *Scripturâ* ignotum, sed apud alios tanquam peculiare *Gazæ* nomen celebratur (*Hieron.* ad *Lat.*). 5° *Berith* sive *Blal-Berith*. Porrò hæc omnia numina, si veteribus scriptoribus fides, originem referunt ex insulâ *Cretæ*. *Dagon* *Philistheorum* ipsa est dea *Dicynna* *Cretensium*, quæ sanè *Dicynna*, confundenda est cum *Dig-tin*, sive *Dagtan*; *Dag* et *Dagon* in *Hebræo* sonant, piscis; *than* (2) 1 *Reg.* 51, 5; Consecuti sunt eam viri sagittarii.

sive *thannim*, magnus piscis cetaceus. Tradunt *Cretenses* nomine illo *Dianam* appellatam fuisse (*Dicæarch.* in *Cret.*), quippe quæ insequentem *Minocem* fugitans, cum in pelagum se projecisset, subjectis piscantium celibus excepta fuit (vide *Diod.* l. 5, p. 256, 257). *Beel-sebub* facile sub muscæ simulacro effingebatur, in memoriam innutriti *Jovis* in monte *Ida* inter medias apes; cum autem apes illæ atram haberent muscarum formam, deus in præmium accepti ab illis officii pullum colorem in aureum immutavit; officii, inquam, accepti, cum illæ in nutriendo puero mella nymphis sufficerent. Cum autem mons *Ida* celissimo sit vertice, ventisque validioribus concussus, tum et sævissimo frigori subjectus, alterum accessit à *Jove* insectis beneficium; nempe ut resistendi ventis haberent vim, tum et frigoris omnem sensum abstulit, quò scilicet dulcem in montem trahere moram possent. Si *Astaroth* cum *Venere* confundenda est, et *Cretenses* avium esse nomen illud rati, summa semper religione domesticam deam colebant, non est cur rationes investigemus culti à *Philisthæis*, quæ colonia est *Cretensium*, numinis. Tandem *Stephanus* *Geographus* testatur *Marnas* *Gazæ* ipsum esse *Jovem* *Cretensium*.

Ex his omnibus facile colligimus, *Philistheorum* originem à *Cretâ* repetendam esse, quemadmodum ex nomine, moribus, armis, legibus, politâ, linguâ, religione utriusque gentis probatur.

Nostram hanc de origine *Philistheorum* sententiam criticorum nonnulli improbandam susceperunt (*Journal de Trévoux*, mensis Augusti 1722, p. 4576, etc.), quibuscum contentiosum trahere funem in re idè obscurâ et problematicâ in utramque partem agitantia recusamus. Quæ tamen afferunt adversus nos rationum pondera; non ea planè censenda sunt, quæ in aliâ nos sententiam pertrahant.

Observant igitur 1° *Sesostridem*, *Ægypti* regem, tot insignium expeditionum gloria clarum, persecutionem omnium primum in *Hebræos* movisse non diu antè natum *Moysem* (vide *P. Tournemine*, *Dissert.* in *Marshallum* aprilis 1702). Obiit ille post 59 regni annos, quem *Ramesse* ejus filius excipiens 66 annis regnavit. Sub *Amenophi*, qui post *Ramessem* *Ægypto* præfuit, *Hebræi* regionem illam deseruerunt. *Chronologicum* hoc systema placet his quibus nostra displicent; neque nos refundendum suscipimus, quamdâ illi non ut

certain chronologie hypothèsis, sed ut probabilem tantummodo invexerint.

2° Auctoritate *Herodoti* statunt *Ægyptiorum* coloniam à *Sesostride* in *Colchide* relictam (*Herodot.* lib. 2, c. 103, 104); ipsamque coloniam à *Moyse* nomine *Castuhim* designatam. Ex his deducit *Capthorim* in vicinam *Colchidi* *Cappadociam*, ac maxime in *Siden*, vel *Sidenam* *Cappadociæ* parvam quidem regionem transmigrarunt. Probat hæc nomen *Siden*, quò *Græcis* est malum punicum, sicut *Capthor* *Hebræis*.

3° Quæ deinde regio, inquit illi, *Chanana* et *Judæa* dicta est, appellabatur olim *Palestina*, quò in primâ terrarum orbis divisione *Asiam* ab *Africâ*, portionem *Cham* à portionem *Sem*, disternerent. Post *Chananaeorum* invasionem vetus *Palestina* nomen finitimæ regionis mansit; quem sanè regionem ætate *Abraham* et *Isaac* tenebant principes *Hebræi* sub *Philistheorum* nomine in *cap.* 20 et 26 *Genesis* designat.

4° Addunt; quâ ducti ratione ignoro, *Capthorim*, relicta *Cappadociâ*, irruptionem fecisse in *Hebræos*, quibus pulsâ ejectionem, totam illam sibi regionem, neque regionem tantum, sed et nomen *Philistheorum* (*Hebræis* peculiare) usurpasse, eâ planè ratione, inquit illi, quemodò *Gothi*, domitâ *Hispaniâ*, nomen sibi à devictâ regione asceverunt.

5° Ad *Ceretim*, vel *Cretim*, à *Scripturâ* interdum *Philisthæos* appellatos, quò atinet, nomen illi deducunt sive ex colonia *Cretensium* in *Palestinam* translata, sive ex singulari *Philistheorum* in jaculando peritâ, sive tandem ex *Philistheorum* colonia in *Cretam* deductâ; unde facile morum illa et nimum utriusque gentis affinitas.

Antequam in hanc sententiam quidquam moveamus, animadvertere juvat omnia hæc meram esse puramque hypothèsim, non historiam rei, cujus nulla suppetant monumenta. Nec quidquam moveat *Herodoti* auctoritate de *Ægyptiorum* colonia à *Sesostride* in *Colchide* relicta, post ea maxime quæ nos ad *Gen.* 10, 14, observavimus, et quæ pariter adversus hanc *Herodoti* historiam congestit *Bochartus*. Cum enim *Sesostris* prælio victus esset à *Colchis*, coloniam in eâ regione statuisse suam quis credat? Fac autem reliquerit, an illa ex *Castuhim* constabat? an illi nomen *Colchidi* suum commoderant? Scitum est, *Colchidis* nomen antè *Sesostridem* regionis fuisse. Quo insuper argumento evincitur *Capthorim*, rei-

etâ Colchide, in Sidenam, inde in Palestinam, brevi 100 annorum spatio migrasse? Neque enim post ortum Moysen, quem sub Sesostride natum statuunt, usque ad Hebræorum ex Ægypto secessionem, nisi 80 annorum spatium intercedit, et post 40 annos Philisthæi ex Capthorim deducti, in Palestinâ florebant.

Tandem Jeremias, 47, 4, et Amos 9, 7, Philisthæos ex insulâ Capthor accersunt. Quis, rogo, unquam Cappadociam insulæ nomine appellavit? Solemne est quidem Hebræis, insulæ nomen regionibus transmarinis, locis quæ mari alluuntur, peninsulis et regionibus nonnisi maritimo itinere à Judæâ petendis tribuere. Ita de Ioniâ, Macedoniâ, Græciâ et Asiâ minori constat; nemo tamen assereret omnibus maritimis regionibus commune insularum nomen ab illis inditum. Alioqui enim Judæa, Ægyptus, Arabia insulæ dicerentur, quod nemini adhuc venit in mentem. Nemo unus, qui linguam et stylum Hebræorum calauerit, affirmandum suscepit regiones omnes maritimas à Judæis communi insularum nomine appellari.

Tenuis est prorsus conjectura, quæ ex Græcâ significatione nominis *Side* deducitur, ad probandam Capthorim è Palestinis originem. Potuit enim urbi nomen indidisse sive malis punicis ferax solum, sive urbis forma; etymon quin etiam illud aliunde fortè quàm ex Græco derivatur. Res enim dubitatione non vacat, an Moysis vel Sesostridis et Ramessis ætate Græcus vernaculus sermo in câ regione obtineret. Corruit autem illicò tota adversariorum fabrica, si nomen *Side* aliunde quàm ex Capthorim deductum est.

At enim Septuaginta et post illos interpretum turba, *Capthorim* reddunt Cappadoces, quos sanè viros de origine Capthorim instructos probè credere par est.

Hiscæ ego repono, 1<sup>o</sup> Septuaginta inter se committens, nempe interpretes Græcos Pentateuchi, cum interpretibus Ezechielis 25, 16, et Sophoniæ 2, 5, 6, qui sanè posteriores nomen *Cerethim* (Philisthæis synonymum) reddunt Cretenses. 2<sup>o</sup> Josephus, Antiquit. l. 4, c. 5, Cappadoces deducit ex *Mosoch* filio Japheti, cum interim Capthorim et Casluchim solo nomine sibi innoscere testetur, 3<sup>o</sup> Aquila, origine Judæus, et clarissimus Scripturæ interpretes, nomen Capthor et Capthorim in textu servavit. 4<sup>o</sup> Tandem Bochartus, Chanaan l. 4, c. 38, scriptores Judæos inter se non conve-

nire demonstrat, ut Cappadoces pro Capthorim constanter usurpent (1).

Quæ verò est adversariorum persuasio, Philisthæos constituens primos Palestinæ incolas ante Chanaeos, tanquam Scripturæ repugnans prorsus abjicitur. Accessit enim Scriptura, Gen 10, 14, Philisthæos ex Capthorim insulâ Capthor incolis, Amos 9, 7, Jerem. 47, 4, sicut et pulsè è sedibus Hevæi à Philisthæis produntur, Deut. 1, v. 25. Legimus etiam non semel et iterum, sed pluries Hevæos populos esse Chanaeos. Ex quibus omnibus tria deducuntur: 1<sup>o</sup> Vetustissimos omnium Palestinæ incolas haberi Chanaeos; 2<sup>o</sup> priores illos terræ cultores excepisse Philisthæorum coloniam; 3<sup>o</sup> hanc ex insulâ Capthor et è populis Capthorim ducendam esse.

Nunquam evicerunt, neque evincunt adversarii, primigenium Chanaeæ nomen *Palistinam* fuisse. Nihil enim tale produnt Herodotus, Plinius, Mela, Ptolemæus in hanc sententiam laudati, et si quid proderent, eos testes rerum quas minimè norant, abjicimus. Nunquam non insinuat Scriptura Chanaeos vetustissimos esse regionis incolas. Docet Moyses Deut. 2, 10, Moabitæ è sedibus suis *Emmin* expulsi; Ammonitæ *Zoncomin*, Deut. 2, 20, Idumæos regionem sibi *Horrorum* usurpasse, Deut. 2, 22, ac tandem Capthorim totam occupasse Hevæorum regionem, Deut. 2, 23. Quæ omnia operæ pretium sacro scriptori visum est animadvertisse, ut Hebræis ad occupandam Chanaanitidem, promissam illis à Deo regionem, animos adderet. Res ergo postcebat ut simul et semel demonstraret, Chanaeos ipsos veteres Philisthæos è sedibus suis depulsi, nec tamen eâ de re quidquam prodit.

Accuratissimus chronologie calculus nullam aliam gentem Chanaeas vetustiores in Palestinâ constitui patitur. Chanaan, quo auctore gens prodit, non diù post diluvium natus est, quippe qui ætate esset jam grandior, ut maledictionem in se avi auscultaret, cum

(1) Puche (Concorde de la géographie, page 254) existimat voce *Capthor* designari *mediam Ægyptum* ex qua Philisthæi (Hebr. *Capthorim*) egressi in eam regionem quæ à Gazâ, Gerarâ et Geth ad Joppem usque extenditur, invaserunt, ne ulterius progredierentur à Chanaeas prohibiti. Facile autem mediam Ægyptum putat *insulam* dictam, cum à septentrione canali Bubastico, ab oriente sinu Arabico, et ab occidente Nilo Buvio includatur, quemadmodum *Insulam Franciæ* appellamus provinciam inter Sequanam, Matronam, Æsiam et Entem, sive Idanin, interjacentem. (Editores.)

avus ipse Noe vineam implantavit, Gen. 9, 23, 26. Ex Chanaan undecim filii nati sunt, Gen. 10, 15, etc. Quæ in constructione turris Babelicæ divisio accidit, ad 250 sive 300 post diluvium annum consignatur. Ex tunc autem florentissimam totius orbis gentem Chanaeam credi par est, quam alias habuisse sedes præter Palestinam nullibi legimus. Abrahami ætate, 250 annis circiter post turrim Babelicam, Chanaeæi jam diù à pluribus annis quietam habebant regionis illius possessionem. Indicent ergo adversarii quando venerint, et quos regionis incolas depulerint.

Philisthæi jam inde ab ætate Abrahami potentissima erant populorum natio, quibus nec innumera decrant urbes, nec reges, veteresque regionis incolas Hevæos jam omnes depulerant. Erant ergo Hevæi gens ex Chanaeas referens originem, primigenii Palestinæ incolæ; quare vetustate superant illam, ab adversariis invectam, Casluchim à Sesostride in Colchidem missam coloniam adeoque et multo præcedunt tempore Capthorim è Cappadociâ deductos. At enim Philisthæi illi Abrahamo et Isaac coævi, ipsissimi sunt Hevæi posterii Chanaan, qui pariter *Philisthæi*, nempe *segregatores*, idè appellabantur, quod portiones Cham et Sem medi distinguenter segregarentque. Bella ratiocinatio! 1<sup>o</sup> Cur inter se confundantur, quos Moyses non incuriosè distinguit? Cur Philisthæi simul cum Chanaeas admisceantur, cum Scriptura solerter adoneat, Philisthæos secundos ab Hevæis incolas in regionem venisse? 2<sup>o</sup> Philisthæorum nomen, quo sensu ab adversariis usurpatur, frustra in vetustis quæ sacræ, quæ profanis monumentis quæras. Gratis invehunt adversarii, quin et contra omnem veri speciem, custodiam illam finium regionis Cham et Sem, tum et nomen *Philisthæi* datum populis regionem tenentibus in Africâ et Asiâ inter Cham et Sem, quicumque tandem populi illi essent, sive Chanaeæi, sive Capthorim origine.

Nihil moror si quis cum Theodoro in Sophon. 2, suspiciat Cretensium coloniam latera Mediterranæ et Palestinam frequentasse, sive fortè Philisthæos quosdam in Cretam transmigrasse, ac tandem Cerethim, sive Cretim, designare viros jaculandi peritissimos. Illic enim nobis militant potius quàm contra nos, cum in eam deducant sententiam, Philisthæos Cretenses esse origine, et insulam Capthor cum insulâ Crete confundendam, quod totâ hâc dissertatione nostrâ probavi-

mus. Neque mearum esse partium duco, ut quatuor adversariorum asserta falsè convincam, videlicet insulam Capthor in Cappadociâ sitam esse; Philisthæos ex Capthoritis *Sidæ* in Cappadociâ deducendos; coloniam Ægyptiorum à Sesostride in Colchide relictam monumentum esse historicum satis assertum, ac tandem Palestinam ante tenuisse Philisthæos, quàm à Capthorim et Chanaeas occuparetur, Hevæosque Abrahamo coævos ipsisimos esse Philisthæos, vetustissimos regionis incolas. Quatuor hæc simul mera esse commenta cum veritate nunquam componenda contendo.

Asseruerunt etiam contra meam sententiam cultum Beelzebub dei muscarum ex Colchide in Sueciam devenisse, quod probandum sibi assumunt ex historiâ muscarum, unde superstitiones suas deducebant Suecorum magi, teste Rudbekio. Ingentem magi illi captivam dæmonum turbam, muscas quosdam alis instructas referentem, super humeros gestabant, quas illi muscas prodigium aliquod operaturi, jussionum suarum ministras missitabant. Affirmabant dæmonem, quem sub nomine Thor colebant, summum habere in dæmones omnes muscas imperium. Porrò hunc muscam dæmonem è Sueciâ in Palestinam cum Suecorum coloniâ deducit Rudbekius. Maluit tamen nostræ sententiæ impugnatores superstitionem ex Colchide in Sueciam per virtum quendam Odinum nomine, paulò Jesu Christi adventu antiquiorem transmittere.

Quid inde illi? An demonstrasse sibi persuadent, muscarum cultum è Sueciâ in Palestinam, vel potius è Colchide in Sueciam migrasse? Mihi sanè ad intentum convincendum luculentiora desiderarentur argumenta, et otiosi esse hominis reputo diutius in hypothesei hâc subvertendâ immorari. Quo, rogo, argumento probatur, muscarum superstitionem sive in Sueciâ, sive in Colchide unquam obtinuisse? Veneficorum Suecorum historia cultum à Suecis dæmoni impensum demonstrat? dæmoni, inquam, quem sitenebat captivum, ut ad sumum tantum arbitrium, suisque commodis dimitteret? Quid insuper hæc ad Philisthæos, Babylonice captivitate, ipsosque adeò Jesu Christi adventu vetustiores, et cultui Beelzebub addictos? Nihil igitur hisce in contrarium adductis argumentis è veteri sententiâ retrahimur, ratumque manet apud nos, Philisthæos ex insulâ Crete à Palestinam transmigrasse.

Accuratius modò de numinibus Philisthæorum discernendum.

### PHILISTHÆORUM NOMINA.

Insitã quãdam religione Philisthæos culti suorum numinum vehementer addictos fuisse ex ipso Scripturæ testimonio intelligimus. In expeditionibus suscipiendis nihil habebant antiquius quàm ut secum idola referrent, vanã spe ducti, non parùm sibi momenti ex ipsorum ope in hostes futurum. Capta omnia à Davide nonnulla ex iis idolis igni tradita sunt, 2 Reg. 5, 21, et 1 Paralip. 14, 12. Post devictum in prælio Gelboe extinctumque Sãlem, victores Philisthæi miserunt in terram Philistinorum per circuitum ut ammittaretur in templo idolorum et in populis, 1 Reg. 5, 9. Cùm Samson in eorum manus incidisset, in carcere detentus aliquandiu, deinde in templum Dagon in actionem gratiarum diis ejusdem gentis productus fuit: eo simul aspectu volentes presentem in templo turbam delectare adversarium longè terribilissimum inuentem, à quo nihil sibi ultra timendum haberet. Area Domini in prælio sub Heli summo sacerdote capta, in templo Dagon deposita est, 1 Reg. 5, 2, sicut et ibi suspensum Sãulis caput, arma verò ipsius regia in templo Astaroth, 1 Reg. 5, 10, et 1 Par. 9, 10, tropæum exhibuerunt. Hæc de superstitione et religione Philisthæorum monumenta sunt apertissima.

### DAGON.

Celebratissimum Philisthæorum numen, cuius angustissimum erat Samsonis ætate Gazæ templum; namque vir ille strenuus eo quo præstabat corporis robore dejecta ædificii mole, ultra 5000 hostes partim super tectum, partim in templo stantes oppressit, Judic. 16, 27. Huic non secundum alterum fanum Azothii excitum erat, ubi area Domini deposita tantam prodigiorum procellam in idolum excussit, ut contractum simulacrum eorum illa conciderit, et numinis caput manusque in limine templi projecta jacerint; quod deinde ad limen accedentes Philisthæi, ne conculcantes tangerent, sed saltu translirent, religiosè eaverunt, 1 Reg. 5, 5. Diò superstitio illa mansit, cùm Philisthæos hisce characteribus designet Sophonias, 1, 9: *Visitabo super omnem qui arrogantur ingreditur super limen. Extabat adhuc templum Dagonis Azothi sub Machabeis; namque direptum ibi combustumque templum à Jonathã legimus, 1 Mach. 10, 83, 84.*

Quã potissimum formã idolum exhiberet id diù multumque interpretes torsit. Judæorum doctores de hoc argumento scribentes adeò inter se variant, ut temerè et ad arbitrium scripsisse statim intelligantur. Sunt qui superiora hominis; inferiora piscis habuisse dicant (Kimehi); alii ordine inverso piscem statuunt in superioribus, infra verò à femore hominem (Abarbanel). Alii homine excluso piscem per omnia (Rab. Salomon); sicut alii vicissim nihil non humanum constituunt (Rab. Levi. Vide, si Jubet, Andr. Beyer addit. ad Seld. de Diis Syr.). Id constat, nec manus nec caput numini defuisse; Scriptura enim narrat 1 Reg. 5, 4: *Caput Dagon et duæ palmæ ejus abscessæ erant super limen. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo.* Septuaginta, pedes quoque unã cum manibus et capite projectos habent. Nos igitur non invita suspicamur, deum hunc, sive deam (carent enim Hebræi feminino nomine deabus designandis) ipsissimum esse Ægyptium numen, quod D. Vaillant, Append. Hist. Ptolemæorum, ex nummo urbis Menelai exhibuit. Refert autem femininam mediâ corporis parte expressam, cornucopiam tenentem, inferiora habere piscis, caudã in dorsum replicatã, pedibusque à pisce non abjudentibus, veluti crocodili, seu vitulimãrini. Veneris numen sub piscis formã coluerunt Ægyptii, quod in prælio Typhæos cum diis, Ovid. Metam. 5, fab. 5,

*Pisces Venus latuit.*

Porro nomen *Dagon*, sive *Dag*, Hebræicè sonat piscem; quod sanè animalium genus Syri, Phœnicæ, Persæ, Ægyptii, Cretenses, summi veneratione colentes, deos deãque suas in piscem non rarò transformabant. Hunc igitur finitimarum gentium ritum tenuisse etiam Philisthæos facillè credimus. Utquid aliqui piscis nomen deo suo tribuissent, si cæteris circa illos populis numinum suorum sub piscium formã exhibentibus simulacra, soli piscem non adorarent? Diodorus Siculus, lib. 2, pag. 65, sive 92, tradit, Ascalone, quæ urbs erat florentissima Philisthæorum, deam coli *Derceto* sive *Atergati*, cujus simulacrum vultum habens femina in piscem desinebat; addit insuper non longè ab urbe altum esse lacum piscibus refertissimum, quos sacros habent incolæ, intactosque servant, rati Venerem in lacum se projicientem quondam in piscem transisse.

Nomen *Derceto*, sive *Atergati* ex *Dag* et *Atir* derivatum, sonat *piscis magnificus*, addant diis et *regibus*; ita deus Sepharvãim appellatus est

*Adramelech*, seu *Adarmelech*, rex magnificus, 4 Reg. 17, 31. Philisthæi, audito nuntio deductæ in castra Hebræorum arcæ Domini, exclamãrunt, 1 Reg. 4, 8: *Quis nos salvabit de manu regum sublimium istorum? Verum Deum sæpè hoc eodem titulo insigniunt Hebræi (vide Exod. 15, 11; Ps. 7, 2, 10, et 75, 5, etc.).* Lucianus, qui deam Syriam oculatus testis insperxit, simulacrum pingit mulieris in piscem desinentis, quemadmodum et Nereides apud poetas describi consueverunt. Deam Eurynome filiam Oceani colebant Areades in templo in urbe Phygale erecto, quod semel tantum in anno recludi consuevisse ferunt. Numinis simulacrum aureis devinctum catenis in templo velut in carcere detinebatur. A capite ad inum usque pectus venustam referebat puellam, inferiora desinebant in piscem. Porro numen illud è Cretã in Peloponnesum facillè transitit.

Abstinnisse Syros à piscibus quibusdam, satis ex veterum testimonio constat, sive indignum ratos ea in cibum adhibere, quæ in altariibus numina colebant, ut Diodorus Siculus, S. Clemens Alexandrinus, alique nonnulli autumant; sive Gatis, vel Atergatis reginæ edicto absterritos, quippe quæ piscium avidissima, omnes sibi reservari, vetito cæteris illorum usu constituit, quod maluit Antipater Tharsensis et Menæas ab Athenæo laudati, Dipsosoph. l. 8, c. 8. Mos inde obtinuit, de quo Athenæus ipse, auro et argenteos pisces in ejus templa inserendi, ut perpetua essent religionis monumenta; sicut et ex piscibus assatis elixatisque mensas in ejus aris instruendi, quæ postea sibi omnia rapiebant sacerdotes. Malunt alii sacros fuisse Derceto pisces; quod deam in aquas prolapsam à presentissimo periculo liberãrunt. Similemque habuisse de Dictynnã deã suã opinionem Cretenses ex testimonio Diodori supra laudato videntur; namque extractam illam è mari piscatoriis retibus narrabant. Alii tamen (Menand. apud Porphy. l. 4, de Abst. Vide et Plat. de Superst.) contendunt, abstinnendi à piscibus in causã Syris fuisse, quod tormina sibi quædam viscerum et jeccoris, sicut et ulcera crurium, totiusque corporis metuerent à Derceto infligenda in penam; quod sacros deã pisces violãssent. Ovid. Fast. l. 2:

..... Genus hoc imponere mensis

Ne violenti timidi piscibus ora Syri.

Manilius, Astronom. 4, alique plures autumant injuriam Veneri irrogari, si pisces in eorum adhibeantur:

*Scilicet in piscem sese Cytheræa novavit,  
Cùm Babyloñiacas submersa profugit in undas,  
Insuetique suos squamosis piscibus ignes.*

Sed quecumque demùm fuerit Syriacæ superstitionis causa, extra controversiam est consecrãsse illos in altariibus pisces, sicut et deam Derceto feminam quidem in superioribus, inferiora verò piscis exhibuisse; ipsam autem esse credimus Dagonem illum in libris sacris celebratissimum. Porro numen illud, quod mulierem effingebant Syri et Cretenses, masculino Dei nomine Persæ venerantur. De Oanne, numine Babylonis, Derceto non absimili, sermo est apud Berosum (apud Euseb.). Namque capite erat et pedibus humanis; infra verò humanam altera assurgebat piscea cervix; pedes autem hominis profibant ex amplexibus piscis caudã, quæ in dorsum revolvebatur. Mira jactitabant de monstro: manè de mari Rubro vel sinu Persico emergere, et post accitam Babyloñe totam diem, sub vespere iterum in aquis demergi. Amphibium erat humanoque sermone instructum. Plurimarum, nec inutilium quidem ad vitam regum primus auctor forebatur, uti scribendi, ædificandi, agrosque colendi, etc. Quatuor ejusdem figuræ et nominis Apollodoros recenset, omnes è mari Rubro emergentes (vide Selden. de Diis Syris syntagma 2, c. 5); addit insuper nonnullis ante diluvium seculis novum aliud monstrum cæteris non dissimile ex eodem loco prodixisse, nomine *Odacon*. Quis, rogo, nominis *Dagonis* vestigia non agnoscat? Neque Septuaginta numen illud ignorãsse visi sunt, quippe qui *Nebo* deum Babyloñiorum Dagonem reddiderunt, Isã. 46, 1. Quod autem vix fidem extorquet, atque religionis et theologiæ pagana absurdum omne relevat, illud est, nimirum eandem Dianam, quam Cretenses *Dicitinna* nomine colebant, cultum apud Persas, cæterasque barbaras gentes obtinuisse sub nomine *Diane Persicæ* (Diod. l. 5, pag. 257). Manilius ubi supra, Venerem in piscem transmutatam testatur: *Cùm Babyloñiacas submersa profugit in undas.* Mersam in Euphrate, Palastina, ut ipse quidem autumãsse creditur, amne, habet Ovidius Fast. l. 2, vers 460:

*Venit ad Euphratem comitata Cupidine parvo,  
Inque Palastinae margine sedit aque.*

Et Metam. l. 4, fab. 5, repetit versam illam in piscem, vel saltem ita ferri apud Babyloñios, et persuasum esse Palastinis:

De te, Babyloñia, narrant  
Dercete, quam versã squamis velantibus artus

*Stagna Palæstini credunt coluisse figurâ.*

Fieri utique potuit ut apud Babylonios cultus Derecto, Diane, sive Dagoni sub piscis simulacro impenderetur.

A vero pariter non abluisti deam Hierapolis in Syriâ, de qua plura Lucianus, eandem esse quæ Diana Persica, ipsam demum Derecto, seu Dagon, seu Dictynnam, aut Dianam. Lucianus (de Deâ Syriâ) narrat non defuisse, qui ædificati templi deæ Syriæ honorem tribuerent regiæ Semiramidi, quæ scilicet parenti suæ Derecto fanum illud erexit; populos verò urbis à columbis abstinuisse, quod aves sint Semiramidi sacre, et à piscibus, quod Derecto dicant habeantur. Strabo, l. 16, non obscure tradit, coli Hierapoli deam Atergatim. Plinius paria refert l. 8, c. 25: « Ibi prodigiosa Atergatis, Græcis autem Derecto dicta, colitur. » Et quod maximè ad rem facit, Ascalonitæ cultui Derecto addictissimi, columbas summo perè observabant, eas aves sanctas, eas sacras habentes, quas si quis fortè in cibum adhibisset, is deos suos vorandi discrimen subibat. Tibullus:

*Quid referam ut volites crebras intacta per urbes  
Alba Palæstino sancta columba Syro?*

Vidisse etiam se testatur Plinius apud Euseb. Præpar., dum Ascalone esset, infinitum propemodum harum avium numerum, quem summa diligentia et obsequio alebant.

#### ASTAROTH.

Alterum erat Philisthæorum numen, cui regia Saisis arma in tropæum suspenderunt: *Posuerunt arma ejus in templo Astaroth, corpus verò ejus suspenderunt in muro Betsan*, 1 Reg. 51, 10. Incertum tamen quâ potissimum in urbe coleretur, nisi fortè Ascalone credamus, ubi Veneris Coelestis templum, omnium ejusdem deæ vetustissimum habitum juxta Herodotum lib. 1, cap. 103, spectabatur. Cyri et Cythæa incolæ Veneri devota gens, religionem suam Ascalonitæ debent. Sed quænam hæc dea Astaroth? Nos confundendam credimus cum Derecto, Atergatâ, Venere Coelesti, uno verbo, cum Dagonè, Dianâ, Atharâ, deâ nemorum, de qua sæpè in Scripturâ, *Asera Ascherah*. Vide 4 Reg. 21, 7, et 23, 4, 6, et 2 Paralip. 33, 5. Fusius nobis de hoc argumento actum est in dissertatione de Numinibus Phœnicum; hæc tamen duas vel tres conjecturas afferendas censemus. Strabo de corruptis nominibus barbaris agens, observat lib. 16, vers. fin., ex Atergatâ factum Athara, quam Ctesias appel-

lat Derecto. Tradit Artemidorus Syros à piscibus non abstinere, exceptis quibusdam paucis deam Astartem colentibus, Oneiroc. c. 9; ex quo confusas intelligimus ab eodem scriptore geminas illas deas, Astartem et Derecto, cum alteri tribuat quod ad priorem tantum referendum est. Tandem 2 Mach. 12, 26, sermo est de Astaroth Carnaim urbe transjordanâ, ubi templum Atergatæ (*Atergateion*) fuisse perhibetur.

Quantum autem ea quæ hucusque digessimus de Dagonè et Derecto veri aliquam speciem habere videntur, suis tamen obnoxia sunt difficultatibus, imò et prorsus repellenda essent, si testimonium Sanchoniatonis, auctoris Phœnicii ante bellum Trojanum, admittatur. Scripserat enim ille, qui patriam religionem nosse debuerat præ Luciano, Diodoro, aliisque planè recentioribus Græcis et Latinis, eo maxime tempore florentibus quo Græci totam Orientalem theologiam diis Græcorum invecis turbaverant, scriptor, inquam, ille tradit apud Euseb. Præp. l. 4, cap. ult., Cœlum, pluribus editis filiis, inter cæteros Dagon habuisse, cujus nomen ex Phœnicio *Dagan frumentum*, derivatur; cum autem, addit, hic aratri et frumenti usum invenisset, nomen obtinuit *Jovis Agricola*, sive *Jovis ad aratrum*. Saturnus uxorem tradidit Dagoni unam ex uxoriibus Cœli, quam ipse Saturnus in bello à se in Cœlum illato captivam habuerat. Hæc Sanchoniato, omnia hucusque præstituta à nobis auctoritate suâ evertens. Singula hæc probasse Bocharus visus est; ea verò rejicit omnia quæ de simulacro Dagonis Rabbini comminiscuntur, de Anim. sac. p. 1, l. 1, cap. 16.

Sed hæc duo Sanchoniatoni reponenda: 1<sup>o</sup> Historiæ veritas; 2<sup>o</sup> nomen Dagon ex Phœnicio *Dagan, frumentum*, derivatum negatur. Sanchoniatonis nomine inscriptum opus fabella est ad arbitrium supposita, sive fraude Porphyrii, qui detrahendi sacris libris consilio (ita erat in Christianos animatus) omnia ex theologia Phœnicum suffuratos fuisse sacros auctores demonstraturus, libellum facile proculditi. Nemo certè ante Eusebium, nec post illum aliquis, hujus auctoris scriptum vidit unquam. Quin nec ipse Eusebius integrum illius opus legisse videtur; sed quæ apud Porphyrium extabant fragmenta, in suum opus transtulit, cum fortè nec ipse Porphyrius integrum opus supponere ausus, quædam tantum fragmenta in suo libro inseruerit; fraude non planè felici, cum se non semel prodât, omniaque

interiserit absurdis adeò putidisque erratis et fabellis, ut vulgò hujus ætatis eruditus præstita olim hisce fragmentis fidei pudeat. Nominis etymologia ex *Dagan* probari utique possent, si alicujus historiæ vel probati scriptoris auctoritati inniteretur. Sed quis, rogo, deus Jupiter iste Agricola? ubi locorum cultus? quod ejus numinis templum, cultoresque quales? Fragmenta illa procedenti præ oculis erant libri sacri, ex quibus nomina propria colligens ad litteram translata, in certas genealogias, obtrusis fabellis servientes, digerebat. Ita cum inter legendum offenderet *sedai*, deum agrorum verit, quòd scilicet *sade* ad litteram sonet agri. Sed Hebræi, qui planè vocabulorum suorum vim norant, vocem illam reddunt: *Deus, qui sibi sufficit*. Sed fusius de theologia Sanchoniatonis recurrit sermo, ubi de numinibus Phœnicis, sive Chananæis.

#### BEEL-SEBUB.

*Beel-sebub*, i. e., *deus Muscarum*, sive *deus Musca*, Philisthæos habuit cultores, et templum celeberrimum in Accaron, ubi et oracula reddebantur. Ochozias, rex Israel, lapsus è tecto domus in cœnaculum, gravi vulnere affectus, consultum de valetudine suâ *Beel-sebub* deum Accaron misit. Eantibus regis legatis occurrens jussu Domini Elias, gravioribus verbis ita est compellatus, 4 Reg. 1, 2, etc.: *Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beel-sebub deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes*. In novo Testamento *Beel-sebub* princeps dæmonum appellatur. Pharisæi de Jesu: *In Beel-sebub principe dæmoniorum eiecit dæmonia*, Matth. 12, 24; Luc. 11, 15; alii insuper de eodem Jesu Marc. 3, 22, dicebant, *quoniam Beel-sebub habet, et quia in principe dæmoniorum eiecit dæmonia*.

Sed quale hujus numinis simulacrum? Inter varias variarum tres tantummodò opiniones referemus. Prima nomen *Beel-sebub* inditum numini per contemptum opinatur; cujus genuina esset appellatio: *Beel-samin*, deus Cœli. Secunda autumat nomen fuisse tutelare Philisthæis, cujus potissimum opem in muscas implorarent, quemadmodum et Græci colebant Herculem muscarum venatorem. Tertia contendi consecratas à Philisthæis muscas, quarum erectum in altariibus colerent simulacrum. Quæ pro singulis hisce sententiis afferuntur, conjecturas pronamur.

Obtinuisse apud Hebræos mores externorum deorum nomina corrumpendi ex sacris libris

intelligimus. Quo enim horrore nomina illa prosequantur, eodem et nomina detestantes, ne proferre quidem illa vel designare sustinebant. Uris *Bethel*, quæ vox *domum Dei* sonat, non rarò immutato nomine, *Bethaen*, domus iniquitatis, vanitatis, nihili, appellatur, ex quo aurei vituli à Jeroboamo fabricati sedes efficta est, 1 Reg. 13, 5, et 14, 25; Osee 4, 15, et 5, 8 et 10. Monti Olivarum montis *Offensionis* nomen, 4 Reg. 23, 15, accessit, quod erecti ibidem fani sedes effectus est. Valli Heliopolis in Coelesyriâ, templo Solis sive Baal infami nomen vallis iniquitatis ab Amos tribuitur (1). Isbaal, Miphibaal, filii Saül, variato nomine in Scripturâ appellantur Isboeth et Miphiboeth, i. e., *vir confusionis*, os confusionis, quò profanum nomen Baal evitaretur. Dominus, Osee 2, 16, 17, proficitur commissurum se, ne ultra nomen Baal in ore populi sui versaretur, ut nec uxor quidem cum viro suo familiaritè loquens, illud usurpare nosceret; *neque enim*, inquit, *ultra appellabit conjux virum suum baali*, i. e., *dominum meum*, sed *ischi*, *virum meum*, sponsum meum. Non abs re igitur suspicaremur, Hebræos recepto more nomen *Beel-samin*, deum Cœli, reddidisse *Beel-sebub*, deum Muscarum, vel, *Beel-sebub*, salacitatis, quemadmodum legitur pleraque Græca exemplaria et veteres interpretes.

Sed cur nomen *Beel-samin* in *Beel-sebub* transferendum maluerunt? Ideò, inquit, quòd victimarum cruore ablutum simulacrum muscas accerseret, quibus etiam ebulliebat templum, invitante odore carnum et sanguine hostiarum. A templo Salomonis, si Rabbini fides, omnis exulare musca divino prodigio jussa est. Sed hæc frivola sunt, nec majorem merentur fidem, quæ de templo Salomonis à muscis immuni jactitant. Quin et ex textu 4 Regum supra laudato, satis intelligimus nomen illud peculiare esse, non deridiculis impositum; neque enim alicui Ochozias numinis opem imploraturus mittens, eo deum illum nomine compellisset.

Alterâ proximè succedens sententia, muscarum aucupio occupari deum autmans, nihilò melioris est fidei. Tota enim innititur futilibus et à longè deductis conjecturis, que in speciem quidem aliquid, re tamen nihil probant. Adducunt Jovem muscarum aucupem ab Eleis cultum, sicut et apud Romanos Hercules item aucupem muscarum notus erat, Clem. Alex. in

(1) Amos, 1, 5: *Habitatorem de campo idoli, mibabath aven.*

Protrept. Plinius narrat (1) in Olympiæ sacris tauro litatum fuisse numini aucupi muscarum, quo sacrificio vix ablati, inquit, statim abactæ muscæ extra territorium turmatim evolvant. Auctor sacrorum Hercules habetur, qui cum Olympiam venisset, et sacrum Jovi parasset, quò molesto muscarum tedio liberaretur, Jovi muscarum aucupi litavit: nec mora, statim molestorum insectorum examina facessere loco, et trans Alpheum avolare visa sunt. In fano Apollinis ad Actium eidem incommodo occursum, mactato muscis tauro, illisque sanguine relicto; statim enim veluti sacrificio contentæ abiliant. Præsentissimum etiam habebatur Herculis numen in culceæ; unde nomen inditum deo *Conopion*.

Cyrenatici, inquit Plin. l. 10, c. 27, «Acho- rem deum invocant, muscarum multitudine pestilentiam afferente quæ protinus intereunt, postquam litatum est illi deo.» Porro deum *Achor*, sive *Accaron*, ipsum esse Beel-sebub non inviti suspicaremur, quanquam de re prorsus incognita (neque enim aliud de illo memorie proditum est) mellis iudicium omne suspenditur. Illud tantummodò addendum nobis, vix posse in animum nostrum induci, solam, quæ deo tribuitur, muscæ depellendi virtutem, in causâ fuisse cur Beel-sebub appellaretur; scimus enim Jovem et Herculeum, deos ambos in muscas tutelares, tantæ virtutis merito nomen sibi promeruisse aucupio muscarum. Ita planè ejus numen præsentissimum sentitur in mures et serpentes, non continuò *deus Mus*, et *deus Anguis* nuncupatur. Quæ tandem ratio suadet Beel-sebub numen fuisse in muscas prodigiosum? Nihil eâ de re in sacrâ historiâ, et ne verbum quidem in profanâ. Scitum est tantummodò oraculum ejus in Accaron reddendis futuro oraculis celebratum fuisse: quare Ochozias non impetrandæ à morbo sanitatis, sed de morbi eventu consulturus legatos eò misit.

Tertia tandem sententia ex numine muscam facit, divinis honoribus ab Accaronitis cultam, vel hominem muscam habentem sive in manu, sive in capite, sive ad latera. Scitum est enim obtinuisse apud gentiles, ac maxime Ægyptios, morem, ut vera animalia consecrarentur, ut puta taurus, aves, crocodilus, vel saltem eorum simulacra aurea, argentea, lignea,

(1) Plin. l. 29, c. 6: «Olympiæ sacro certamine, nubes eorum, immolatio tauro Deo, quem Ælyodem vocant, extra territorium id abiere.»

ænea imponerentur altaribus. Sæpè tamen numinibus suis bruti aliquid coagmentabant, ut Isidi caput felis aptatum est, Anubi caninus vertex, Derceto cauda piscis, Ammonii cornua arietis, et sic de singulis. Tandem capiti sive manibus numinum bruta animalia imponebantur, virtutis singulorum hieroglyphicam; ut piscis, accipiter, cervus. Vide hæc de re nummos Ægyptios et tabulam Isiacam. Apes in veteri simulacro Dianæ Ephesinæ insculptas licet spectare in Museo Farnesiano Romæ. (Vide Antiq. Græc. Grav. et Gronov. c. 7, pag. 582 et 583.)

Porro muscis non minus planè erat meritum, quam felibus, lupis, crocodillis, anguibus, hircibus, formicis, muribus, febrî, tempestati, cepis, porris, quæ omnia vesana gentilitas aris imposita consecraverat. Auctor Sapientiæ, 12, 8, immissas narrans à Deo in Amorrhæos et Chananzæos vespas et muscas, à quibus paulatim è sedibus illi suis repellerentur, addit deinde illa habuisse adversaria, quibus divinos honores impenderent. Colebant ergo muscas, vel saltem muscarum simulacra. Vide Sap. 12, 23, 24. Testimonium Diodori l. 5, de repensâ à Jove beneficis in muscas, sive apes infantie suæ in monte Ida beneficas altrices, supra retulimus. Beneficiorum deus ille non immemor, aureum æneo admixtum colorem largitus est, simulque indulisit ut perniciosissimo cæteris morsu se ipsas defenderent. Genus autem illud muscarum diutius in monte perennatum fuisse Ælianus Hist. Anim. l. 17, c. 53, est auctor. Ad cantharides alluisse creditur. Auctor ille, sicut et Diodorus, ita insecta describunt, ut cantharides pinxisse videantur: illis enim venenatus morsus, illis aureus color quadrant. Pierique tamen scriptores illos interpretantur de apibus. Dignus etiam aliquid munificentie suæ donum liberalissimus Jupiter muscis contulit, ut scilicet haberent liberos, ait Servius in Virg. Georg. l. 4, sine ullo concubitu. Virgilius narrat non defuisse, qui viso ordine atque politâ apum, animâ illas, intelligentiâ et portione divinitatis quâdam præditas fuisse suspicarentur. Virg. Georg. 4:

*His quidam signis atque hæc exempla secti,  
Esse apibus partem divinæ mentis et haustus  
Ætherios dicere.*

Symbolum habebantur immortalitatis, quippe que sibi ipsi post interitum vitam redonarent, neque pignendis et reparandis apibus

commixtione utriusque sexûs opus habereat. Ibidem:

*Illam adeò placuisse apibus mirabere morem,  
Quòd nec concubitu indulgent, etc.*

*Verùm ipso foliis natos, et suavisibus herbis  
Ore legunt.*

Didymus, apud Lactantium de falsâ Relig. lib. 1, cap. 22, prodiit, Melisso regi Cretæ geminas fuisse filias Amaltheam et Melissaam, quarum illa lacte, altera melle infantem Jovem paverit. Fabula historiæ accedens, ex Amalthea capellam, uberibus suis puerum lactentem fecit, ex Melissa apem, mellis sui dulcedine infanti blandientem: illi in præmium officii divini honores cesserunt; cur verò eodem præmio et altera fraudaretur?

Scarabæus, sive cervus volans, quem non immeritò in muscarum censu habemus, inter deos etiam ab Ægyptiis agnoscebatur (1). Probrum hoc depulsurus à gente suâ Appio Grammaticus, observat scarabæum solis operâ æmulari, quippe qui stercorem globum vertens, seipsum reprodicit; nam post depositum in globo illo semen omnia sub terrâ recondit, quousque foto jam semine novus exurgat in auras scarabæus. Tanta erat olim pro insecto illo militum Ægyptiorum veneratio, ut in annulis exsculptum gestarent (Ælian. Hist. Anim. l. 19, c. 15). In tabulis scarabæus et alterius etiam generis muscæ non rarò spectantur; varia enim muscarum genera colebant Ægyptii. Non est igitur cur Philisthæi similes honores muscæ ejus generis, vel simili denegaverint. Ita planè sententiam de hoc numine suam ferunt Septuaginta, A Reg. 1, 2, et Patrum Græcorum benè multi inter quos Gregor. Nazianz. orat. 2 contra Julian.; Theodoret. q. 3 in 4 Reg.; Procop., Gæzus; et yir quidam eruditus, nempe Joan. Ernest. Gerard. Analect. ad Matth. 12, 24, pag. 621, muscam in veteri nummo Phœnicio observavit. Quin et muscæ cultum diutius etiam post inventam christianam Religionem, Accarone mansisse Philastrus insinuare videtur, cum de hæresi Judæorum muscas colentium in Accaron agit hæres. 15.

Jesus Christus Matth. 12, 24, Luc. 2, 15, Marc. 5, 22, Beel-sebub principis dæmoniorum titulo notavit, unde conjectura facilis de-

(1) Plin. l. 50, c. 11: «Propter hoc Ægyptii magna pars scarabæos inter numina colit, etc. (Vide et Plutarch. Symposiæ, l. 4, c. 8, et Pierii Hieroglyphica, l. 8, cap. 14.)

quæretur, instruatum eo nomine Jovem, in cætera paganorum numina, tanquam omnium principem, regnantem. Potest autem non incongruè Jovi nomen *Baal muscarum* aptari, eâ scilicet ratione, quam supra insinuavimus, quippe qui muscas Idæas et aureo colore et mirâ quâdam virgineâ fecunditate donarit. Prophætæ titulo idèò gaudere potest Jupiter, quòd oraculum haberet in Accaron. Ita Beel-sebub ipse est *Jupiter Idæus*, sive *Dicteus*, muscarum satellitio stipatus. Georg. lib. 4:

*..... Apes.....  
Curetum sonitum crepitantiq; æra secute,  
Dicteæ cæli regem parere sub antro.*

Apes peculiari religione Dianæ consecrabantur. Franciscus Ubaldinus et Lucas Holstenius celebrarunt apes, stemma familiæ Barbarinæ, quam in rem admonet apes olim in status Dianæ sive in cippis illi dicatis insculpi; insculptas pariter cerni in nummis urbium Ephesi, Messanæ, Metaponti, Delphi, et Syriæ. Vix tamen in animum inducerem sibi cultu religioso veneratas fuisse præter quam apud Philisthæos, et fortè etiam in Ægypto. Apud Ægyptios scarabæus ceu solis emblemata in Ægypto colebatur, ait Porphyrius de Abst. lib. 4, art. 9.

Profectò, si in profanorum theologiâ suus fuit cultus corvis, capellis, psittacis, quæ à deceptoribus doctæ suæ debebant responsa et oracula, cur non idem honor fuerit muscis, Jovi dicatis?

#### MARNAS.

Nihil de Marnâ in Scripturâ, quod sanè numen cultum in Gazâ urbe Philisthæorum tradunt S. Hieronymus et profanorum nonnulli. Servantur etiam nummi, in quibus Gaza titulo *Marna* insignitur, apud Spanhem. pag. 669. De numinis illius templo ita S. Hieronymus in Epist. ad Lætam: «Marnas Gaza lugeat inclusus, et eversionem templi pertimescit.» Legitur in vitâ S. Hilarionis, ludos et curriculum agitationes in ejus honorem institutas. Stephanus Geographus, in Gazâ, autumat, Marnam eundem esse ac Jovem Cretensem. Marna Syriacè, qui vernaculus erat in Palæstina sermo post captivitatem Babylonicam, vel saltem post Machabæos, sonat *Dominius*, quod Jovi optimè quadrat. Sed nec immeritò eodem denotari solem, vel Apollinem maximum totius Orientis numen suspicaremur.

Templum Apollinis in Gazâ senatui cogendo destinatum legimus apud Josephum, Antiq. l. 23, cap. 21. Nec Cretensibus incognitum erat nomen Maran et Marna, cum puellæ apud eas gentes *Marnæ* titulo, ac si diceretur, *domina*, decorarentur. Ejusdem vestigia in eadem insulâ deprehendas non obscura, ut in *Marathusâ*, *Marathi*, etc.

BERITH, SIVE BAAL-BERITH.

Deus est ex libro tantum Judicum notus, ubi post relatum Gedeonis obitum (1) legimus, Israelitis relicto Domino coram Baal supplices sese provolvisse: *Et prostraverunt sibi Baal-Berith in deum* (ita Hebræus). Templum erat ejus nominis celebre in Sichimis, unde educatam pecuniam Sichimitæ Abimelecho filio Gedeonis penderunt, Judic. 9, 4; eò etiam confugerunt post negatam Abimelecho obedientiam, ibid. 14; ibi tandem Abimelechus ipse molâ mactinariâ à feminâ deturbatâ elisus, interit. Notas de illo conjecturas dedimus in Commentario Judic. 8, 55, quibus has etiam addendas censemus, probantes numen illud è Philisthæis,

(1) Judicum 8, 35: Aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt cum Baalim, percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in deum.

vel Cretensibus deductum, ipsum esse Dagonem vel Derecto. Diodorus Siculus, l. 5, tradit, Cretenses religiose cultu deam *Britomartim* adorasse, quam sanè natam dicit è Jove et Carme, cognomento autem appellatam *Dicynnam*, quòd inventrix haberetur venatorii retis, sive quòd Neptunum proceam amatorem fugiens, cum se in pelagum projecisset, subjectis piscatoriis retibus excepta est. *Dicynnae* verum etymon ex Hebræo *Dag-tannim*, *magnum piscis*, deducendum jam à nobis demonstratum est; nec *Britomartis* nomen aliunde repetendum quàm ex *Berith* et *Marath*, *deâ federis*. Auctor à nobis supra laudatus, et Solinus deam illam confundendam cum *Dianâ* censent, quòd nobis etiam probatur, cum *Dicynna*, *Derecto*, et *Atergatis* nihil sint aliud quàm *Luna* sub *Dianæ* nomine à Græcis culta. Sermo est apud Macrobiùm, Saturn. l. 1, c. 18, de *Baccho*, sive *Libero Brusseo*, non alio sanè quàm *Sole*, cujus pariter nomen deducitur ex *Berith*, sive *Beris*, juxta Chaldaeam pronuntiandi rationem. Ita deus, sive dea *Berith*, cui templum Sichimitæ dedicaverant, ex vicinis Philisthæis accitum erat nomen; origiæ verò à *Cretâ*, quemadmodum et cætera ejusdem gentis, derivatum. (CALMET.)

DE SAMUELE PER VISUM SAULI OBJECTO,

Ad 1 Reg. 28, 11, 12,

Dissertatio.

Jam inde à primis Ecclesiæ seculis quæstio de Samuele per visum spectato viros doctos in partes distraxit. Inter maximos doctores et sapientissimos Patres non satis eà de re unquam convenit, et Ecclesiæ, eà quæ præstat sapientiâ et discretione, hodiè usque tolerat varias in hoc argumento et discrepantes opiniones, quibus aliqui nullum inferatur vitium unitati charitatis, fidei, morumque. Sunt qui contendunt fraude mulieris pythonissæ factum esse, ut loqui se cum Samuele Saül opinaretur, ejusque ante se aspectum habere persuaderet, quanquam aliqui nihil ante se haberet, nec respondentem audiret. Alii malunt Samuelem verè Saülis spectandum sese præbuisse.

Quanquam nec inter patronos hujus opinionis satis convenit. Plerique enim contendunt, non vi quidem præstigi, nec magicorum carminum deductum è caelo, prophetam teistis coram rege; sed, inquit, Dei permissione factum est, ut neque voluntate veneficæ mulieris, neque magicorum carminum vi attentâ, propheta in conspectum Saülis veniret, ejusque oraculo impius rex disceret, quanta in caput suum ex denegatâ Deo obedientiâ evocasset mala. Alii verò asserere non dubitârunt, quandoquidem sanctorum animæ, quemadmodum et impiorum, nondum obtentâ per Jesum Christum libertate, sub principis tenebrarum potestate essent, ejus imperio coactum fuisse

Samuelem, ut magicorum carminum invitationibus pareret.

Tertia de hæc re sententiâ docet, dæmonem ipsum, cum sese Saül et veneficæ videndum obtulisset, utrumque fecelisse. Alii denique aiunt, neque dæmonem fuisse, neque Samuelem, sed Samuelem phantasma et imaginem, quam Deus vel per angelos, vel sub ipsius virtute exhibuerit.

Nec, si Ecclesiæ Patres dissident, Rabbinii magis conveniunt inter se. Ludibrium esse et merum pythonissæ fallendi artificium tenet R. Samuel Hophni. Cum enim reprobatum è Deo regem, tum et inunctum à Samuele in regem eundem Saulem mulier vaferima nosset, nihil se tamen scire, ne vultum quidem regis agnoscere simulavit, et per suppositum callidè virum, antea de omnibus instructum, totum rei eventum, qualem jam conjiciebat futurum, trepidanti regi, ac Samuelem se audire autumanti, nuntiavit.

Saadias Goon et R. Hai docent fieri nunquam potuisse, ut pythonissæ virtute, nisi à Deo ipso in vivis revocaretur, Samuel videndum sese præberet. Quis autem credat, addunt illi, Deum in gratiam Saülis prophetam revocasse ad vitam, Deum, inquam, qui consulerent per Urim et Thummim (præscripto nempe consulendi Deum ritu), nihil reponere nunquam voluit?

Levi Ben Gerson omnia errantis phantasiæ ludibrio acta esse in morte regis contendit. Minas enim Samuelem, de removendo scilicet à se regno, in mente versans Saül, earum terrore altè menti impresso factum est ut versari sibi ante oculos Samuelem ipsum et dura minitantem crederet.

Aharbanel persuasum habet, dæmonem sub ementitis prophete spoliis hæc omnia Saül intimasse, quæ ipse eventura conjectando assequeratur. Omnes æquè sententias illas reprobat Manasse Ben Israel, Resurrect. mortuorum, lib. 2, cap. 6; sed libri Zohar opinionem adoptans, autumat spiritus esse quosdam, quibus mira vis est super animas mortuorum, ut ad arbitrium illis utantur, cogantque quodcumque jussurint corpus animare. Hæc tamen eà tantum conditione agere permittuntur, si primus à morte annus nondum exierit, quo scilicet temporis periodo nondum penitus refriguisse animarum in corpora amorem, ita docent Rabbinii, ut sæpius invisere illa atque fovere, uno verbo, non penitus deseruisse corpus videantur. Eo igitur temporis spatio permissum

animabus iter sibi in corpus perrumpere: quod ut reipsâ fieret, coactus à pythonissâ dæmon præstitit. Certum igitur tenet Rabbinus primum à morte Samuelem annum nondum exisse: quod notatæ chronologiæ, biennium ab ejusdem prophete obitu statuenti, repugnat.

Tertia tandem opinio tenet, dæmonem sub ementitis prophete spoliis et Saül et pythonissæ imposuisse. Sunt tandem qui contendunt, nec Samuelem, nec dæmonem quidquam regi objectum, sed ejus loco spectrum aliquod sive figuram ejusdem prophete, angelorum ministerio, sive ab ipso per se Deo exhibitam.

Agitatâ jam latissimè hæc quæstione à viris doctissimis, vix quidquam novi est quòd nobis dicendum supersit. Singularum igitur opinionum rationes potissimas deduxisse contenti, quæ maxime nobis probatur opinio seligetur, nullâ aliorum sententiam, quam aliquin Ecclesiæ tolerandam duxerit, notantes censurâ.

Forum qui evocati magicorum carminum in prophete sententiam asseruerunt, agmen ducit Origenes, quippe qui, flect opinione non primus invexerit, auctoritate tamen suâ valde promovit atque commendavit. Namque ante Origenem laudatur S. Justinus Martyr in Dial., qui scriptis tradiderat, dæmonem potestatem suam in animas justorum et prophetarum exeruisse, quas interdum evocationibus magicis parere jubebat. Vir tamen ille sanctus non asseruisse de industria opinionem, sed tantum per transennam proposuisse videtur, cum Origenes et prudens sciensque illam sæpius inculcans pervicaciter defenderit. Quod sanè nobis insinuat ab Eustathii Antiocheni de Engastrimitho dissertatione, vitio Origeni opinionem illam vertente, quæ modò ex scriptis ipsius errasse nusquam apparet. Ita hanc sententiam ex Origene præfert Eustathius: « Origenes dixit, dæmonem non animam tantum prophete reduxisse, sed eduxisse pariter (ex inferis) alias sanctorum prophetarum (animas.) Quanquam in loco ubi Origenes eam tractat quæstionem, hæc tantum hodiè nobis leguntur, in 1 Reg. 28: « Si ergo talis (tantusque vir erat sub terrâ, et à pythonissâ evocatus est, fateamur oportet dæmonem potestatem in prophete animam obtinuisse.) Deinde orationem suam promovens, addit, quandoquidem Scriptura, seu Spiritus sanctus, Scripturæ auctor, evocatum à pythonissâ Samuelem asserit, nullum superesse de rei veritate ambigendi locum. Mirum autem nemini